



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Innocentes MM. 28. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

luit, Amorem ejus aquæ multæ non potuerunt
extinguere. Magis etiam arsit, cum oleo Romæ ab
ignæ bullienti immixtus fuit. Agebat summam legis
Amorem esse. Illud unum in ore habuit, Filii diligite alterutrum. Certè quantum animos dilexe-
rit, argumentum ingens juventæ nescio quis juve-
nis est. Hunc Ephesum abiturus IOANNES Epi-
scopo unicè commendaverat, sed pessimo custodi.
Ecce adolescens is capitur ab animorum prædo-
nibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse cor-
porum etiam latro, mox dux latronum evadit.
Subinde IOANNES adest, & pretiosam ab amico
depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter
fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit
(senio alas amore ministrante) visamque prædam
tamdiu insequitur, dum lacrymis suis fistit, canis-
que, amplexibus impeditam in viam reducit.
Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ
ejuscemodî feræ pereunt, quia retia fugiant, ma-
luntque ab orco rapi, quàm à cælo capi, *Ex Bar.*

*Per B. Joannis vestigia ad Redemptorem nostrum,
pleno cordis amore tendamus: hujus doctrinam ve-
lut coruscantem lampadem nostris semper gressibus præ-
feramus; pudeat jam terrenis incubere, qui per spei
desiderium ad coelestem accipimus gloriam festinare*
P. Dam. serm. 2 de S. Ioan.

S S. INNOCENTES M M.

28. Decembris.

MAla omnia nunciabat Herodî nuncius à
Magis allatus. Quid? mea domum corona
erit, quæ duos Reges ferat? aut regni mei alienum
heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin
caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? pur-
Dd 4 puram

Puram si ambit, domi habet; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Pereat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes bimulorum cunas evertit; balneum his paraverunt, sed dignum hoste. Hæcille; cum interea Angelus parvulum Regem, magnumque exulem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit. Sciviit nihilominus barbarus mucro. Vbique clades, & funera. Vidisses majora vulnera quàm corpora, plus lactis frangi quàm sanguinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc è gladio, illum ab hastâ pendere, multis reli vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœnas tyrannus: morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cum tot homicidia parricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit, periitque. At pretextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quòd talis infantes timeat. *Ex Baron. & Saliano.*

Si temporalis & speciosa nos delectat domus, quanto magis spiritualis mansio decora & celestis nostrum sibi debet vindicare affectum? non minus in spiritualibus quàm in temporalibus inveniamur cupidi, potissimum cum ista momentanea sint, illa aeterna. S. Laur. Iust. de SS. Innocent.

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

Non jam primùm sanguine piorum rigatis Anglia. Iam olim fuso THOMÆ cruori fructum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis in duxisset.